



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Lotio Manuum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

ORATIO PRIMA.

Explicat mysteria observandorum in Sacristia, & indumentorum Sacerdotalium.

OMnipotens sempiterne Deus amator humani generis, supra omnem captum hominum & Angelorum, qui per Spiritum S. tuum in Conc. Trid. Sess. 21. c. 5. & Can. 7. nobis dicis habere tremendum hoc, ad quod me accingo, Sacrificium, multos eosque maxime insignes ac solennes ritus, quorum nullus supervacaneus aut inanis existimandus est, verum omnes eò spectare, ut & tanti Sacrificii Majestatis magis eluceat, & salubribus mysteriis intuendis ad rerum divinarum, contemplationem excitent fideles. Da gratiam, ut juxta illud Exod. 12. observabis caerimonias. Imprimis omnes rubricas ante in & post Sacrum accuratè observem. Dein ad omnes caerimonias, quæ varias virtutes ac mysteria indicant, vivacem ejusmodi reflexionem habeam. Ut opus illud (quod indies perago, ad quod totâ vitâ meâ me satis præparare non possem; quodque nobilissimum est inter omnia, quæ peragere possum; & omnem Angelicam transcendit sublimitatem) aliquomodo condignè, & sanctissimæ tuæ voluntati conformiter conficiam.

Lotio Mannum.

IN hunc finem, ut quidquid possum à mea parte, contribuam, memor illius Exod. 3.

D 2

Solve

Solve calceamentum de pedibus tuis (omnes affectus malos ac inordinatos exue) *locus enim sanctus est*, Sacristiam intrans, imaginabor mihi, eam cœnaculum esse, in quo Sacramentum Eucharistiæ instituísti. Et quia tu ibidem præviè accepto linteo præcinxisti te, & mitsâ in pelvim aquâ cœpisti lavare pedes Discipulorum & extergere. Præcingam me ferventi contritionis actu, eoque lavans ac extergens animam meam ab omni peccati luto (juxta illud I. Cor. II. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*) ne judicium mihi manducem & bibam, sed ut partem tecum habeam, dicam eodem fervore & intentione [quâ Petrus dixit: *Non tantum pedes, sed & manus & caput*) *da Domine virtutem manibus meis ad abstergendum omnem maculam, ut sine pollutione mentis & corporis valeam tibi servire.*

Dum lotis manibus paro me ad induendum vestes sacras, occurret illud Pauli: *Induimini D. N. J. C. viscera misericordie, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, expoliantes veterem hominem cum artibus suis, & induentes novum.*

Amictus ab amiciendo dicitur. Olim etiam dicebatur anabolagium.

DUm amictum induo, recordabor primò mihi Domine, quòd divinitas tua veste humanitatis tecta sit. 2dò. Veli, quo benedictam faciem tuam velarunt in domo Caiphæ impii Judæi. Quòd rubricis conformiter super caput imponam radendo quasi coronam, eò quòd